Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1723
Quelle:
Copyright:



primo gallice *Henrico Galliarum Regi Christianissimo huius nominis octauo* inscriptum, ac inde latine redditum adfirmat, nulla rursus aut *Vivis*, aut Versionis anterioris *Brunonianae* facta mentione. Edidit Opus istud *Vives* hispanice primum in *Anglia* adfectum latine *Brugis* 1528. 8. inscriptum *Job. Borgiae Candiae* Duci, non *Henrico Galliae* Regi, qui tunc nullus erat; quod si post a. 1547. gallice versum est, *Henricus* II. non VIII. dici debuit, nisi quis *Henricum* VIII. *Angliae* latere suspicetur. Ceterum de Versione gallica meorum tradit nemo. Editiones latinae secutae sunt *Basil.* 1538. 8. *Francof.* 1613. 8. et *Opp. omn. T. supracit.* Traductio germanica *Cph. Brunonis* eodem cum superiore *Institutione Feminae* anno lucem *Francof.* adspexit. Unum addo. Praefationem suam ita orditur *Vives: Cum olim de Institutione scriberem Feminae christianae* &c. Quomodo τὸ *olim* subsisteret, nisi editionem hujus Institutionis *Basil.* 1538. alia praecessisset in *Belgio*, ut dixi ad praeced. Codicem?

## DCCXXI.

R. 33 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 528. f. charactere crasso, atro per duas columnas scriptus, et rubricis distinctus ad vetustissimas pertinet collectiones Scriptorum *Hildegardis* Virginis Antistitae *Montis S. Roberti* prope *Bingiam*, quae annum 1178. supremum vitae habuit, cujusque non pauca retuli superiori Volumine. Hic primum locum occupat *Liber Scivias*, dictus, ut *Fabricio Bibl. med. Lat. L. 8. p. 260.* visum, a *Sciens Vias*, vel *Sciendo*, *Videndo*, *Asserendo*. Dividitur is in III. *Partes*, quarum quaelibet in *Visiones* et *Capitula* subdividitur, et in Codice *Elenchum* praefert. Prooemium, quod incipit: *Et ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno* &c. inscriptum est minio: *Incipit liber Sciuias simplicis hominis. Pretestificacio ueracium uisionum a deo fluentium.* Extat Opus istud in *Corpore Revelatt. Birgittae, Hildeg. et Elizab. Schonaug.* impresso *Colon. 1628. f.*

*Fol.* 147. praevio Capitum Elencho, qui insignitur: *Incipiunt Capitula prime partis de uiro ad orientem et ad austrum aspiciente*, sequitur *Liber uite meritorum per simplicem hominem a uiuente luce reuelatorum.* Parti secundae *de uiro ad occidentem et ad septentrionem aspiciente* similis Elenchus praefixus est, uti et tertiae, cujus evulsum est initium, et quartae *de uiro ad austrum et ad occidentem aspiciente*, unde conjicio tertiam inscribi debere *de uiro ad septentrionem et ad orientem aspiciente.* Eodem modo succedunt Pars quinta *de uiro per totum prospiciente orbem*, et sexta *de uiro se cum quatuor plagis terre mouente.* Ανεκδοτον est Opus istud, cujus tamen meminit *Matthaeus Westmonast.* ad an. 1292. et *Trithemius n.* 405. perperam ejus citans initium pro initio *Libri Scivias;*